ORATIO ADHERBALIS MANERBII

ORATORIS SERENISSIMI DVCIS MANTVÆ

AD MARINVM GRIMANVM
Sereniſſimum Ducem Venetiarum. &c.



181

IN VENETIA,

Appreſſo Gio. Ant. Rampazetto. 1595.

ORATIO ADHERBALIS MANERBII

ORATORIS SERENISSIMI DVCIS MANTVÆ

AD MARINVM GRIMANVM

Sereniſſimum Ducem Venetiarum. &c.

SI Quando obſcuræ, ac denſæ nubes, rapiduſq;, & furibundus auſter Sereniſſ. Princeps Illuſtriſſ. & Excell. Patres, voſq; cęteri auditores præſtantiſſimi terra, mariq; cęlum omne perturbant ſegetibus, & vineis proximam pernitiem, & ſubito futuram indicant calamitatem; hinc miſerabiles Agricolę, qui ſperatam diu laborum mercedem ſublatam exiſtimant brachia diſtorquent, pectora contundunt, oculoſque non ſine lachrimis, ac ſummo dolore in cęlum attollentes Diuinam opem, atque auxilium implorant. Illinc pauidi nautæ iactatæ naui clauum eripi dira tempeſtate cernentes haud dubium metuunt excidium, flebili voce lamentantur, Deum inuocant, eumq; votis, muneribus, atque omni pietatis officio ſibi propitium deprecantur; contra vero ſi repentina venti mutatione, ſeu potius Diuini numinis benignitate ſedatur immanis illa tem-

peſtas mare conquieſcit, cœli magna eſt ſerenitas, & qui dudum luctus incredibilem præſeferebant mox ſumma in lætitia, mutuaque gratulatione verſantur. Haud ſanè diſſimili omnino ratione poſtquam huius Reipublicę ſerenitas non nihil imminuta eſt fatali tempeſtate interritus Paſqualis Ciconiæ Principis ſui viri non modo integerrimi, verum etiam prudentia, eloquentia, pietate, caritate, omniq́ue alia virtute præditi, ipſa nauis inſtar, cui procelloſo in mari clauus ablatus ſit ſolita metuebat pericula (quamuis eo tempore Deum ſemper defenſorem habuerit) & nedum eius patricij, ciues, vniuerſuſq́ue populus; verum etiam fideles exteri, atque vicini Diuinam prouidentiam quacunque ſibi ope conciliabant, vt optimum gubernatorem, rectorem, atque moderatorem ei quamprimum deſignaret. Quorum imprimis Sereniſſimus Dux Mantuæ & Montiſferrati Princeps, & Dominus noſter huius excelſæ Reipublicæ haud indignus filius tantæ matris deplorans caſum, ſolitas ipſius metuens tempeſtates crebris precibus, votiſq; cõtinuis Dei Optimi Maximi deprecabatur clemẽtiam, vt omni poſthabita mora piam Rempublicam iuſtiſſimi voti cõpotem redderet. At cum primum fauſtum, feliciſſimumq́ue nuncium accepit *MARINVM GRIMANVM* Principatus ipſius digniſſimam ſedem digniſſimè poſſidere eo eſt affectus gaudio, eaque repletus lætitia, vt omnes nos tam hilarem faciem, lætosq́ue motus, & geſtus tanti nuncij haud initio conſcij miraremur deinde principis noſtri iuſti gaudij participes effecti, & ipſi iubilationis, & exultationis voces non proferre non potuimus. Sed cum Celſitudo ſua lætitiam hanc eius Sereniſſimo pectore retinere parum ſibi prodeſſe exiſtimaret eam: non ſolum populis

pulis ſuis, verum etiam Serenitati veſtræ Illuſtriſſimiſq; Senatoribus his, vniuerſæq; Reipublicæ manifeſtare decreuit. Quod vt facilius, atq; commodius efficeretur inter præclaros eius proceres elegit Chriſtophorum Comitem ex illa per tot luſtra Illuſtriſs. Caſtilioneorum Familia, cuius auus Baldaſar Caſtilioneus ſolus ſufficeret ad patefacienda eius ſtirpis Heroica merita, & perilluſtria geſta (quamuis eximij patris cuius fide, & auctoritate ſtatus Montisferrati modo regitur, & gubernatur, fratris, propriaq; perſona ab omnibus Illuſtriſſimus detegatur) Hunc iure merito iuſtiſſimus princeps noſter ſupremi eius cubicularij munus digniſſimum exercere mandat. Inter iuriſconſultos deinde Mantuanæ ſuæ Ciuitatis me īter omnes minimum, vt celſitudinis ſuæ oblectationem, & iucunditatem Serenitati veſtræ explicarē deputare dignatus eſt. Quod prudentiſſimum principem non ab re feciſſe cunctis patere debet, vel vt obſcuritas mea tanti collegæ claritate illuſtraretur, vel vt eiuſmet claritas contrarij oppoſitione magis eluceſceret. Tertia non eſt prętereunda ratio. Non enim Sereniſſimum Principem meum latet me in hac alma, & Sereniſſima Ciuitate ex matre Veneta Blondorum familiæ, patre vero Mantuano Manerbię gentis natales habuiſſe, infantiæ & iuuentutis annos in ea duxiſſe, optimis inſtitutis, literarumq; ſtudijs apud eam incubuiſſe, adeo vt ſi quid in me præclari eſſet id ex pręclariſſimæ huius Ciuitatis benignitate mihi contingeret: Et ideo, vt tante vrbis licèt exiguum membrum ingentem illius ſolatij conſolationem percipere, eamque facilius exprimere, & ſerenitati veſtræ, excelſiſq; patribus his me haud ingratum fore exiſtimauit. Vera certè iſta arbitror, ſed veriſſimū eſt dubio procul, me tali gaudio cumulari, talem, tantumq;

virum, immo talem tantumque heroem talis, tantæque Reipublicæ caput deſignatum fuiſſe, vt poſtquam ſpiritum duco nullam maiorem perceperim lætitiam, aut iucunditatem. Nec putet aliquis verba hæc quotidiana eſſe, & vt dicitur huiuſmodi concionibus apta quę proferantur; ſiquidem quiſquis eorum cauſam intelliget ea verè cordis nuncia eſſe perſpicuè cognoſcet. Et quis incredibili non efferretur gaudio tantam Rempublicam à tanto Principe gubernari? De Reipublicæ laudibus quis vnquam licèt eloquentiſſimus, & diſcretiſſimus ſatis loqui poſſet? Principis vero magnitudinem quis nedum longo ſermone complecti, verum ingenio, aut ratiocinatione percipere? & licet ego modo de vtroque verba facere conſtituam non perfectus pictor id aperire. Sed vmbrator nouus in opaco minus obſcurum reddere conabor. Veruntamen ne aliquid à re alienum hoc in loco tractaturus huc me contuliſſe videar immenſæ principis noſtri lætitiæ cauſam, qua ad hanc inuictiſſimam vrbem miſſi & ducti fuimus declarare & explanare debeo. Duplex quidem fuit ipſa, altera ampliſſimam hanc raſpiciens Rempublicam, ampliſſimumq; Senatum, altera vero glorioſi huius noui principis perſonam continens. De prima quemadmodum Principum Gonzagarum animi huic Reipublicę dediti, & cũ ea ſemper coniũcti fuerunt, vt verę nobis patefaciunt hiſtorię ita & modernus Sereniſſimus Princeps noſter maiores ſuos non ſolum imitans, verum etiam optima, ſinceraq; voluntate pro viribus ſuperans huius Reipublicæ filium ſe creari, & nuncupari ſedulo curauit, deinde corde eidem ſacrato vna cum patribus his nedum pecunias, & opes erogare, verum etiam vitã profunre pro Reipub. defenſione occaſione oborta maxime ſtu-

det

-det, & quis eodem animo prædictus: quod Sereniſſimus Princeps meus decoratur huiuſmodi preclaro, & generoſo deſiderio non inflammaretur? Talia quidem Reipub. ſunt merita, quæ vnumquemq; & præſertim heroicum virum ad huiuſmodi peragenda humaniter cogunt. Pro quibus declarandis ſi vox mihi eſſet, ac facultas, quas res ipſa poſtulat: certè hoc in loco ſplendore ſolem æquarent: verum cum ſanè imbecilliores ſint, melius eſt eā ſilentio inuoluere, quam incompto ſermone parum ornata, immo potius neglecta demonſtrare. Non poſſum tamen non mirari, quod iam mille centum, ſeptuagintaq; duobus annis inclita hæc reſpublica ſub Chriſtiana, & Catholica fide liberum ortum duxerit, & non ſolum ſemper libera vixerit, verum etiam Domina, & dominatrix, eodem enim partu nata eſt Ciuitas, quo & ipſum Imperium. Hinc eſt ꝙ omnes nos intuemur eam regnare et dominari, quia nō occaſione aut per accidens, ſed ſua pte natura regnat, & dominatur. Hanc Diuina voluntas ſtabiliuit, nec vllo vnquam tempore paſſa eſt ipſam ab aliqua ſubiugari potentia, aut aduentu, caſuuè aliquo eiuſdem imperij maieſtatem minui. Et quæ alia Reſpublica aliudvè Regnum, aut Imperium ſimilem ob cauſam gloriari poteſt? certe nulla, aut nullum, quoniā ſi interdum dominati ſunt aliquando etiam ſeruitutis iugum ſuſtinuerunt Aſſirij Medis ſerui facti ſunt, Medi, Perſis, Perſi Macedonibus, Macedones Romanis, Romani Barbaris; Soli Veneti nunquā ſeruierunt quoniam ſoli naturaliter dominantur. Nec vllam, qui de hæſitationem eſſe puto Rempublicam hanc natam, auctam, conſeruatam, conſeruariq; cęleſti fauore; religionem enim veram, Diuinumq; cultum eā omnes maxime profiteri cognoſcunt. Et quāuis in hoc terrarū Orbe gen

tes, & nationes inueniantur, quę numero, & ferocitate Venetam antecedant, nihilominus iuſtitiæ, fide, pietate, & religione ab aliqua non ſuperatur. Quæ, quales, quantæque turbulentiæ, peſſima accidentia, inſidiæ & proditiones aduerſus eam temporibus elapſis ſurrexerunt? Sed horum omnium qualis fuerit exitus notorium eſt. Quicquid enim Turcæ, Ligures, Galli, alijque innumeri, quos recenſere longum, & ſuperfluum eſſet in Sanctiſſimam Rempublicam conſpirarunt, id omne ſtatim inſpectata reuelatione detectū eſt & inane remanſit immo peruerſi proditores ſui ſceleris dignas dederunt pœnas, & quemadmodum Heritrei maris aquę Aegyptios demerſerunt, & extinxerunt, Hebræosque ſaluarunt, ita Adriatici maris vndæ Barbaros populos ad Venetorum perniciem ductos obruerunt, Venetosq; ipſos incolumes reddiderunt. Ex quibus alijs innumeris, omiſſis quorum magnitudo meteret quilibet concludere poteſt Rempublicam hanc à Cœleſti Rege prædilectam fuiſſe & prędiligi, hacque de cauſa eius Imperium ſemper inuiolatum, & intactum permanſiſſe, & permanere, & propterea qui eam virginem appellat recte dicit. Non poſſum etiam non alia incredibile admiratione affici dum oculos vertam ad alias huius præclariſſimæ Ciuitatis dignas qualitates. Imprimis enim eam cerno in hoc Adriatico Mari ſitam pluribus Regijs, palatijs eximijs, excelſisq; turribus decorati, non aliter ac ſi tria vellet occupare elementa, terram ſcilicet aquam, & aerem; egregia pulcherrimaque deinde eiuſdem forma admodum delector, quoniam non constructa, ſed orta videtur non mortalium opera ſed maiori, quam humana potentia, & quemadmodum vniuerſa terra, ab aqua, ab aere, et ab ignea inuiſi

li

li ſphera circundatur, ita Ciuitatem hanc circundant aquę, aer, & inextinguibilis ignis, caritas ſcilicet horum præſtantiſſimorum patrũ erga Deum, erga patriam, & erga ſemetipſos adinuicem. Dicam melius circundatur Ciuitas hęc ab amore Chriſti, eiuſque ſanctorum. Non ſit igitur qui dicat Venetorum vrbem menſibus minime circundari, quia eam ſemper triplici muro circundatam aduerſo. Primum Cœli eam ſæpe circundederunt; Neptunus deinde parietem illi fabricauit; patricij et Senatores eius poſtea ſapienti eorum conſiglio ſinceroq; amore quaſi inexpugnabili muro eam nunciauerunt. Materialibus męnibus, portis, clauibus, ac pontibus Venetam Ciuitatem carere nedum defectus eſt verum ingens eius perfectio, quoniam ex iſtorum defectu ampla eius libertas detegitur, & publica eius liberalitas augetur, immo ipſa publicum emporium, apertum theatrum, generalis porta totius mundi, & vniuerſalis mater eſſe probatur. Verificatur etiam ex eodem defectu ipſam eſſe terræ imaginem ab omni parte ſolutam, & cęli figuram ex omni latere apertam. Declaratur deniq; ipſam eſſe manſionem virorum, illuſtrium, Heroum, & qui non materialium męnium propugnaculis, ſed prius Diuinæ gratiæ auxilio, deinde proprijs viribus confidunt, & non coctos lapides, aut viua marmora, ſed fortia pectora, intrepida corda, feroceſq; vultus hoſtibus opponere ſtatuunt. Cementi, betuminiſvè tenacitas murales ſtringit lapides, verum non ita, prout concordiæ vinculum horum patrum mentes ligat & ſtringit. Marmorea mœnia tunicis, alimentis igneis inſertis, & abditis cuniculis, vel patentibus muralibus tormentis deijci, atq; proſterni poſſunt: ſed hęc ſola virtute condita nedum ſterni, & profligari, verum nec in aliqua eorum parte

cohiniſuit conenti poſiunt. Apud reliquas omnes Ciuitates nocte adueniente pontes eleuantur, porteque clauduntur: ab hac huiuſmodi abeſt conſuetudo; quoniam in ea nunquam cernitur eſſe nox: prouidentię enim aurora, conſilij lux, & iuſtitiæ ſol perpetuum in hac ciuitate diem conſtituunt. Tertio alia inęſtimabili admiratione ducor, dum in pelago tam amaro tam dulcem experior Ciuitatem, in tam inſtabili mare, tàm formam, ſtabilemque Rempublicam intueor, in loco tam deſerto tam fructuoſam vrbem video. Miracula quidem ſunt iſta, & omni humanæ rationi contraria. Diuina tamen peculiari prouidentia facta, & non quidem ab re: quoniam ſi reliquæ omnes ciuitates tempore earum originis auguria ſpectare ſolitæ fuerunt, & ab illis earum bonum, vel malum euentum aſſumere: certè ex auguriis, quæ huius beatæ ciuitatis ortui apparuerunt, omnia eius proſpera, & fœliciſſima futura quilibet concludere debuit. Non aues volarunt, non equi ſurrexerunt, non angues ſibillarunt; ſed totius humani generis ſalus apparuit. Dies enim, qua ciuitas hæc fabricari cępta eſt fuit illa ſanctiſſima, in qua omnipotentiș Dei filius propter æternam, vniuerſalemque ſalutem in vtero ſanctiſſimæ, atque puriſſimæ Virginis Spiritu Sancto cooperante, carnem ſuſcepit humanam. O fœliciſſimum augurium, ò ſanctiſſimum omen, ò auſpicium quod nulla mens amplecti, nullumque os narrare valet. Eadem dies fuit Lunæ, in qua Deus mundi creationem operari cępit, ſeparauitque aquas ab aquis, eadem die fuit plenilunium, eadem dies fuit prima ſanctæ hebdomadæ, in qua Domini Noſtri Ieſu Chriſti Paſſio commemoratur, eiuſdem diei hora, qua ciuitas hęc fabricabatur fuit hora meridiei, menſis erat

Martij,

Martij, & ſol erat in equinoctio. Hæc omnia igitur ſi conſideremus ciuitatem hanc tot auctam priuilegiis, tot ornatam virtutibus, tot deniq; decoratam fulgoribus iure merito cognoſcemus. Si enim ædificari cępit tempore quo mundi creatio cœpta fuit inter principales mundi ciuitates principalior eſſe debet. ſi verè nouo orta eſt debet eſſe Florida; ſi in menſe Martij Martis operibus dedita; ſi in equinoctio iuſta, ſi in plenilunio pleniſſima; ſi in hora meridiana clariſſima, & ſereniſſima, ſi tempore Dominicæ Paſſionis deuotiſſima. Si in prima die Sanctę hebdomadæ Sancta. Tandem ſi annus tempus Menſis hebdomada dies & hora vna pariter conuenerunt ad ipſam tot priuilegijs illuſtrandam omni priuilegio frui debet, & præſertim perpetuitatis: quoniam cum ea die, qua mundus creatus eſt orta ſit cum mundo abſumi debet. O Mantuanę Poeta noſter ſi dum hac luce fruereris Italiam, in qua nondum Venetorum Ciuitas apparuerat reſiduum mundi excellere affirmabas, quid modo diceres? cui ipſam præferres? cum in ea ciuitas hæc mero ordine orta, aucta & confirmata ſit? Decor Italię, ſplendor Europæ, & gloria vniuerſi; Nulla quidem alia hominum oculis pulchrior apparet, nulla humanæ contemplationi mirabilior, nulla habitationi tutior, nulla quieti commodior, nulla denique ditior, magnificentior, aut diuinior. O Veneta Ciuitas libertatis receptaculum, religionis templum, Pacis & tranquillitatis hoſpitium, gloriæ illuſtre domicilium, Imperij digniſſima ſedes, magna, antiqua, & veneranda Ciuitas, tot heroum mater, fœlix, beata, regnans æternè. Deficio in magnitudine laudum tuarum, & nihil aliud mihi dicere fas eſt, quàm quòd nullus quam tui ſimilis es. Tantæ igitur ciuitatis, tantæque Reipublicę

quam adumbraui, & delineaui: non autem pinxi, aut ſculpſi: tetigi non diſtinxi: indicaui, & non deſcripſi merito caput Regimen, & Princeps eſt *MARINVS GRIMANVS*, cuius celſitudini propterea admodum gratulatur Sereniſſimus Princeps noſter, & ſibi vehementer gaudet, gratulatur etiam ipſi Reipublicæ, & incredibili efſertur gaudio, vt talem, tantumque Heroem in eius Principem elegerit, & confirmauerit, cuius ſceptrum, & Imperium nulli inferius fore eſt ambigendum. Non Ianus Italiam, non Minos Cretam, non Licurgus Lacedemoniam, non denique Auguſtus Romam ita rexerunt, prout *MARINVS GRIMANVS* Venetam Ciuitatem, Rempublicam, & ditionem (vt ipſa ſpondent initia) gubernabit reget, & moderabitur. O mihi fas eſſet tanti principis laudum, & meritorum Oceanum ingredi, & nauigare; quoniam cum cimba mea admodum imbecilis ſit tantam reformidat vaſtitatem, & princeps hic Sereniſſimus incredibili eius modeſtia id mihi prohibet: nihilominus Celſitudini veſtræ moleſtum non ſit me aliquē de eis ſermonem habere, tum quia eximiæ eius virtutes id à me poſtulant, & præſtantisſimus cętus iſte idem tacitè requirit; tum etiam quia, & ſi veriſſima, & præclariſſima dicam; exigua tamen erunt reſpectu eorum, quæ mente, & ingenio amplecti minime poſſum. Si igitur primo capiam GRIMANÆ Gentis originem eam vetuſtiſſimam, & per tot ſecula illuſtriſſimam apertè cognoſco; eius enim Heroes præclariſſimis eorum geſtis eam ſemper illuſtrarunt, & eorum meritis primos huius Reipublicę gradus ſemper conſecuti ſunt; ſanctęque Eccleſiæ fulcimenta, & cardines effecti ſunt. Inter hos non eſt ab re enumerare

Antonium

Antonium illum GRIMANVM Venetæ, claſſis pręfectum, qui etſi quorundam iniquo odio pòſt rem feliciter geſtam ad vrbem reuerſus, vinculis traditus, & deinceps relegatus exulauit; nihilominus depreſſam imitans palmam metu iuſtiſſimorum virorum proprio frequentibus ſententiis ab exilio reuocatus, reipublicęque reſtitutus ad caram patriam reuerſus eſt, quam poſtea eximijs virtutibus, & meritis rexit, & gubernauit. Huic filius fuit Dominicus Cardinalis vir Philoſophiæ ſtudijs clariſſimus, aliiſque maximis virtutibus celeberrimus. Tot alij quoq; huius excelſæ familiæ fuerunt Heroes, quos, eorumq; geſta ſi enumerare vellem dies deficeret, & minimam adhuc eorum partem non tetigiſſem: Verum cum talia ſint, quę ſolis ſplendore nihilominus clariora videntur melius eſt ea ſilentio præterire, quam rauca voce, & impedita lingua obſcurare. Non poſſum tamen non recenſere duorum nomina Marini ſcilicet Grimani Cardinalis, & Principis ampliſſimi, atque iuſtiſſimi, & Ioannis Patriarcæ, & Principis Aquileienſis Domini mei colendiſſimi nuper defuncti, quorum ſanctiſſima geſta ita in oculis omnium remanſerunt, vt aliqua teſtificatione non indigeant. Quæ tandem mihi dicenda eſſent de Hieronimo Grimano huius Sereniſſimi Principis digniſſimo genitore? multa quidem præclara, immo innumerabilia; ſed in hac temporis anguſtia hoc vnum ſufficiat; eius virtutes eiuſque heroica merita tales, taliaque fuiſſe, vt huius principatus digniſſima ſede nimis dignus iudicatus fuerit. Ex tali tantaque proſapia ortus eſt Sereniſſimus Princeps iſte, cuius virtutes, & opera & ſi maxima, & ferè incredibilia ſint nihilominus non ita admirabilia; fructus enim eſſe debent

digni arbore, quæ ipſos protulit. Mirum quidem eſſet *MARINVM GRIMANVM* Heroem non eſſe, Heroica geſta non agere, liberalitatem, munificentiam, iuſtitiam, & clementiam non exercere; cum hęc omnia Grimanæ gentis proprijſſima ſint, & ideo ei proprium eſt regnare. Cum igitur Veneta Reſpublica temporibus, retroactis Patauinam, aliaſque perilluſtres huic principi præturas tradidit, eundem inter magnos ſapientes, conſiliarios, & excelſos Procuratores ipſius enumerauit atque conſtituit, nihil ei dedit, quod omni iure ſibi non deberetur. Idem etiam ipſamet apertiſſime declarauit Reſpublica cum hac prudenti, iuſta, matura, ſincera, voluntaria, atque concordi deliberatione eum elegerit eius Principem eius Regem, eius denique Imperatorem: cognouit enim nullum alium illi iure præferendum fore licet ipſe maxima virtute, & modeſtia patrię metuens iacturam digniſſimum titulum, & gradum alteri libenter cedere vellet. O generoſa modeſtia, ò admirabilis liberalitas, ò ineſtimabilis caritas, & ſolo Grimano ſanguine digna. Dicitur, & verum eſt optimum Principem æterni Principis imaginem eſſe, in quo tria præcipuè conſiderantur potentia, ſapientia, & probitas. Prima perpetuo, & continenter operatur circa omnia creata, & hanc in hoc principe experimur, qui nunquam quieſcit circa ſibi commiſſa, immo ſemper operatur. Secunda ſemper videt, ordinat, atque diſponit, & hæc ab hoc principe non abeſt, qui omnibus eius viribus prouidere, ordinare, & dirigere ſuos nullo vnquam tempore deſinit. Tertia gratias, & beneficia nobis ſemper communicat, & hanc in hoc principe non eſſe nullus

dicet, cui nihil magis proprium eſt, quam omnibus benefacere, & hac de cauſa ſemper vigilat, & proprias opes effundit. Eſt igitur princeps iſte talis, qui optime omnia gerens, ſciensque ſe Dei imaginem, atque figuram eſſe in terris non ad aliud eius dirigit cogitationem, quam vt illi æternę probitati, & puritati ſubſeruiat, illamque ſemper imitetur, ſciens ab ea dignitatem hanc ſuam, totiuſque huius Reipublicæ ſalutem derriuari, ò beata Reſpublica; ò fœlices populi, qui à tanto Principe recti auream ætatem experiemini, prout ipſius Creationis tempore experiri cœpiſtis, qui vt futurum aureum ſeculum vobis indicaret vna cum Sereniſſima vxore, ac filiis certatim propriam declarando magnanimitatem, omnes liberaliſſimis manibus aurum, & argentum proijciebant. Plurima, maximaque mihi dicenda eſſent, ſi ſingula priuilegia, quibus Deus Optimus Maximus Sanctiſſimum Principem hunc ornatum, & decoratum eſſe voluit explicare vellem, quæ etſi hunc in locum patefacere, & explanare mihi propoſuiſſem, id tamen, nedum conſequi, ſed nec attingere licuit ob afflictam valetudinem, quo tempore id genus multa cogitatione, ac memoria repetebam. Non ſit igitur mirum auditores ſi tam leuiter tanti Herois feliciter geſta pertranſeo. Hoc vnum inter tot mihi dicere conceſſum eſt, illum in tot eximijs, ſupremiſque Magiſtratibus, quos ſemper feliciſſimè geſſit, nihil vnquam egiſſe cui prudentia, iuſtitia, & temperantia, ſeſe comites non adiunxerint. Horum amplum, & indubitatum ſunt teſtimonia tot populi, quos ipſe & extra hanc Ciuitatem, & in hac Ciuitate rexit, & gubernauit: qui cum non modo iuſtiſſimum rectorem, 18

& gubernatorem, verum etiam dulciſſimum, & amantiſſimum Patrem ſemper appellarunt, & in dies appellant. Hæc omnia facta ſunt, vt omnes cognoſcerent Heroem hunc tanto principatu digniſſimum eſſe. Qua de re in præſentia non eſt dubitandum, ab hoc enim vno, quod princeps Creatus eſt eius dignitas dignoſcitur: non enim hunc aſſequitur gradum, qui tanto honoris faſtigio dignus non eſt. Et præter tot quæ non explicaui ſed innui, aliaque infinita, quæ non ſolum ore declarare, ſed nec ingenio percipere potui. Non ne MARINVS HEROS MARINÆ VIRGINIS deſponſatione, regimine, & Imperio digniſſimus fuit? Recte igitur Princeps noſter celſitudini veſtræ gratulatur quod dignum, & ſibi debitum titulum, & gradum conſecuta ſit, quòd tantę Reipublicę Princeps creata ſit, gratulatur etiam tibi ò Ciuitas perilluſtris, atque pręclara, quod à tanto Rectore, & Principe guberneris gratulatur iterum; atq; iterum Serenitati veſtrę, quòd caput Excellentiſſimorum Senatorũ facta ſit, gratulatur Senatoribus ipſis, quod tam Illuſtre caput quaſi membra ſortita ſint. Gratulatur & tertio vobis Sereniſs. Duci, ꝗ tàm claram, atq; Illuſtrem deſponſauerit Rempub. ad regendum fideles, & obſequentes populos, gratulatur etiam populis ipſis, ꝗ à rectore tam iuſto, & ſapienti regantur. Lętantur ipſi populi Imperium hoc non auro, pręce, vi, fallacia, dolo, aut ſanguine prout multis contigiſſe verę teſtantur hiſtorię Serenitatem veſtram obtinere; ſed voluntaria, concordi, vnanimique tantorum patrum electione, quam non ſedulitas petijt, non fortuna attulit, ſed Diuina voluntas donauit,

&

& propria celſitudinis veſtræ merita quam etiam populi ipſi augurari conati ſunt, vt pax, & religio augeantur, iuſtitia confirmetur, & ſic Serenitas veſtra Deo inſeruiat, & inde optatam ſalutem conſequatur. Modo quamquam ab exiguo, & humili Oratore Principis noſtri lætitia perperam declarata eſt. Vos Sereniſſime Princeps, Patreſque Illuſtriſſimi non verba, ſed cor, non linguam, ſed mentem inſpicere dignemini. Nec lateat Serenitatem veſtram me inſtar inopis prægnantis mulieris fuiſſe, quę & ſi linteis, quibus partum inuoluat, aliiſque careat commodis, nihilominus partum ipſum edere debet, licet mihi Doctrina, eloquentia, atque facundia deſinit, verumtamen poſtquam Princeps meus me ad tantũ munus quibus cauſis ſupra expreſſimus elegit eius gaudium, propriamque lætitiam omnino parere debui, peperi, & quamuis partus nudus ſit, ea tamen quæ illi deſunt ornamenta, princeps iſte quem vos patres elegiſtis liberaliſſimus, & munificentiſſimus, vbi partum ipſum accipere dignatus eſt, neceſſaria illi largiri, & veſtem ſuppeditare non grauabitur. Expoſita quo planiore licuit modo Principis noſtri lætitia, reliquum eſt vt celſitudinis ſuæ, proprioque nomine dignas gratias agamus Serenitati veſtræ, ac Illuſtriſſimis patribus primo pro tanta in principem noſtrum beneuolentia, quam omni tempore ipſe expertus eſt, eiuſque nuncij, & oratores eidem retulerunt, & in dies referunt. Qua de re huic Reipublicę tantum ſe debere exiſtimat, quantum perſoluere ſibi difficile ſit; verum ſi re id in præſentia referre non poteſt, ore ſaltem, & oratione præſtare debet Deinde cum horæ ferè tempus grauibus adimere negotijs, & incomptæ orationi noſtræ concedere Serenitas veſtra Excellentiſſimi-

que patres libenti animo voluerint Illuſtriſſimus hic collega meus, vniuerſus cętus noſter, & ego eas, quas poſſumus maximas eis gratias agimus, atq; immortales habemus a Deoque Opt. Max. Sumis precibus, votiſque contendimus, vt quemadmodum in hac feliciſſima, & altiſſima ſede, quæ ab illa cęleſti non longe in terris abeſſe videtur: pro huius Reipublicæ, finitimorumque beneficio celſitudinem veſtram collocare non recuſauit; ita eadem de cauſa huius Imperij lucem, ſerenitati veſtræ atque hiſce patribus quam diutiſſime largiatur, vt animorum coniunctio, pax, atque concordia res paruas augeant, auctas confirment, & confirmatas in omne tempus illuſtrent. ea denique quam tanto principi, tantiſq; Senatoribus debemus reuerentia ſublimitatem veſtram, Illuſtriſſimoſque & Excellentiſſimos Patres colimus, & veneramur, idemque omni tempore (vt par eſt) nos omni ſtudio effecturos pollicemur. Dixi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE